

se, sic reducitur ad causam moralem effectivam. At ultra hanc totam causalitatem, in eo instanti vel signo naturæ, in quo actus conversionis fit, necessaria est physica operatio gratiæ. Quod si illa cooperatio est ab ipsa motione gratiæ operantis, tanquam a proprio principio per se ac physice influente (quod est probabile), jam non spectatur illa gratia ut præveniens et operans, sed ut adjuvans et cooperans; et quanquam necessarium non sit ut ipsemet motus gratiæ excitantis habeat hanc vim, saltem necesse est ut ratione illius sit paratus Deus ad juvandam physice voluntatem, si consentire velit, eo modo quo superius explicatum est.

Septima objectio. — Unde facile intelligitur quod diximus libro tertio de Auxiliis, capite quarto, numero decimo quinto, licet ordinarie priusquam trahatur voluntas ad supernaturalem consensum, excitetur non solum per illuminationem intellectus, sed etiam per indeliberatos motus ipsiusmet voluntatis, nihilominus posse Deum subito ita illuminare intellectum, ut immediate accendat voluntatem ad liberum consensum sine interventu alicujus affectus indeliberati. Quam sententiam aliqui impugnarunt, quia Concilia prævenientem gratiam requirunt ut necessariam, et illam ponunt non tantum in illuminatione, sed etiam in inspiratione et interna motione ipsius voluntatis.

Sed licet verum sit hunc esse ordinarium modum elevandi has potentias ab imperfecto ad perfectum, non est tamen dubium quin per efficaciam divinæ gratiæ possit aliter fieri; inter illuminationem enim et liberum voluntatis motum est quasi essentialis ordo, quia voluntas non potest ferri in incognitum; et ex hoc capite est magis et simpliciter necessaria excitans gratia per illuminationem, quam propterea sæpe Augustinus vocat sanctam cogitationem, ut videre licet libro primo ad Simplician., quæst. secunda, et lib. secundo de Peccator. meritis, cap. 17, et lib. octavo; motus autem indeliberatus voluntatis non est ita simpliciter necessarius ad deliberatum consensum, quia nec est principium per se illius, nec proponit illi objectum, neque habet cum illo aliquam aliam rationem essentialis ordinis. Ideoque licet ordinarie præcedant illi motus, vel quia necessitate quadam excitantur posita illuminatione, propter quod ipsamet illuminatio solet inspiratio vocari, vel quia naturale est homini proce-

dere ab imperfecto ad perfectum, et Deus movet hominem modo accommodato naturæ, nihilominus Deus, pro sua potentia et liberalitate, potest immediate elevare voluntatem ad liberum consensum, adjuvando illam gratia sua post illuminationem intellectus, quæ adeo perfecta esse potest, ut non indigeat indeliberatis motibus, imo vix illos admittat. Quæ doctrina sumitur ex divo Thoma 1. 2, quæst. 112, art. 2, ad secundum, ubi ita explicare videtur conversionem Pauli; et idem repetit quæst. 113, art. 7, in corpore, et ad primum, ubi optimam rationem reddit, quia virtus Dei est infinita, et motus liberi arbitrii potest subito fieri, et quod interdum requirit successionem, est ex imperfectione hominis, quam vincere potest Deus.

Octava objectio. — Tandem potest etiam ex dictis facile occurri alteri objectioni, quæ facta est contra aliam propositionem quam obiter diximus in dicto libro tertio de Auxiliis, capite quarto, nimirum, motum gratiæ excitantis non semper concurrere simul tempore cum libero consensu voluntatis. Quod ab aliquibus impugnatum est, quia inde sequitur gratiam excitantem non esse propriam causam consensu liberi; nam postquam transit, non potest per se concurrere; imo, si nulla sit ejus recordatio, nihil conducere, quia perinde est ac si non fuisset; si autem movet per recordationem, ad summum movebit per modum objecti per memoriam propositi.

Respondetur ibi præcipue esse sermonem de gratia excitante quoad motum indeliberatum, quem ponit in ipsa voluntate; de quo etiam adversarii non consentiunt inter se. Interdum enim asserunt illum motum indeliberatum non posse esse simul tempore cum deliberato consensu, vel quia non potest voluntas habere illos duos actus simul, vel quia indeliberatus et deliberatus motus requirunt diversas et quasi repugnantes dispositiones in intellectu. Sed quidquid sit de hac repugnantia, quæ necessaria non est, tamen non est dubium quin excitatio illa possit non habere effectum suum ultimum statim ac fit; potest non esse tam efficax; ergo potest tempore præcedere liberum consensum. Rursus non videtur dubium, quin, licet transeat actu, possit manere quasi in virtute, vel in semine, et quod hac intentione possibile sit, ut saltem per recordationem postea opportuniori tempore juvet. Sic enim affectus, verbi gratia, timoris, quem prius homo habuit, postea per recordationem propositus, et cum majori for-

tasse luce vel attentione, multum movere potest, et plus fortasse quam prius in re ipsa existens, propter diversam hominis dispositionem, vel propter majorem efficaciam divini luminis et internæ persuasionis. Unde non refert quod ille timor tunc objective tantum moveat, nam movet media sancta cogitatione et recordatione, quæ est vera gratia, et in ordine excitantis gratiæ potest tunc sufficere, quia partim formaliter, partim virtute continet vim illuminationis et inspirationis, seu affectionis; ergo nihil obstat quominus, adjuvante divina gratia, quæ semper præsto est, possit voluntas sic excitata in liberum ac supernaturalem consensum prodire. Et, ut opinor, non negabunt adversarii posse Deum voluntatem sic excitatam physice prædeterminare ad consensum, nulla enim repugnantia assignari potest, supposita possibilitate illius prædeterminationis. Quod ergo ipsi intelligunt fieri posse per physicam prædeterminationem, nos dicimus fieri posse per gratiam physice adjuvantem, absque prædeterminatione, cum sola cooperatione, quia illa gratia satis est in ratione adjuvantis physice ad supernaturalitatem actus, et ad libertatem juvat cooperans, impediret autem si esset prædeterminans.

CAPUT ULTIMUM.

ALIQUOT PROPOSITIONIBUS SOLUTIO TOTIUS OPERIS SUMMATIM COMPREHENDITUR.

Quoniam tota intentio nostra est refellere prædeterminationem physicam, in eo sensu quo a paucis annis inventa est, veramque gratiæ efficaciam absque tali prædeterminatione defendere et explicare, ideo ab ipso nomine prædeterminationis physice inchoandum est. Non enim displicet res propter nominis novitatem, ut quidam existimant; nam si res vera est, non male per illud nomen explicatur. Nec est in Ecclesia novum nova nomina rebus imponere, quando ad mysteria fidei explicanda vel hæreticos confutandos conveniens est. Trita sunt exempla, nec in re clara necesse est verba prodigere. Si ergo id, quod in præsentis controversia per illam vocem significari intenditur, verum est, satis commode illa voce explicatur, ut mox declarabimus. Valde igitur nobis placet, multumque desideramus ut, sub illa eadem voce, an dogma illud tenendum sit vel abjiciendum, Ecclesia

declaret. Atque hæc sit prima hujus capituli propositio.

Diligenter autem est a nobis vox illa, et per partes et conjunctim explicanda, ne fortasse in æquivocatione vocis aliquod lateat venenum, et ex voce inordinate usurpata error incuratur. Dicunt hoc tempore, qui prædeterminationem hanc physicam prædeterminantem conantur, *prædeterminationis* vocem idem significare quod vocem *prædestinationis*, aut *prædefinitionis*, aut *præordinationis*, ut hinc inferant, quoties Sancti Patres vel Scholastici Theologi docent Deum prædestinare, præfinire aut præordinare opera liberi arbitrii, prædeterminationem physicam, de qua nobis controversia est, docuisse credantur. Quam doctrinam ex nostris etiam libris eruere volunt. Nam Molina, in Concord., disput. prima, ad quæst. vigesimam tertiam, articulo primo et secundo, hæc verba ponit ut synonyma, prædefinitio, præstitio, prædetermino, præordino, prædestino. Et Suarez, libro tertio de Auxiliis, capite decimo tertio, numero decimo tertio, et libro primo, capite duodecimo et vigesimo tertio, ait (ut ipsi referunt) non magis repugnare libertati voluntatis creatæ physicam prædeterminationem voluntatis, intrinsece factam a Deo in tempore per physicam præmotionem, quam prædeterminationem extrinsecam efficacem factam per absolutam et efficacem Dei voluntatem, antecedentem omnem præscientiam mediam futuri consensus. Unde qui admittit (aiunt) hanc extrinsecam prædeterminationem cum libertate, tenetur illam admittere.

Nostra vero sententia, illius vocis significatio, in hac materia intenta, longe ab illa interpretatione distat, quod plurimum refert ad perspiciendum quid nostris libris ipsisque Patribus imponatur, quid vero recte allegetur. Est igitur imprimis statuendum verbum determinandi, et divinæ voluntati et nostræ tribui. Nam et divina voluntas determinat se ad id ad quod habet habitudinem non necessariam, ut loquitur D. Thomas, 1. p., q. 19, a. 3, ad 5; et voluntas humana determinat se per rationem ad volendum hoc vel illud, ut loquitur idem D. Thomas prima secundæ, quæst. 9, art. 6, ad 3. Simili ergo modo vox determinatio, et divinæ et humanæ voluntati tribuitur. Sic enim de Deo dixit D. Thomas, 2, distinctione vigesima quinta, quæst. prima, art. primo, ad primum, in illo *salvati liberum arbitrium quantum ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed a seipso*. Et

de homine ait in eodem secundo, distinctione vigesima octava, quæstione prima, art. 1, non posse esse liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret.

Ubi etiam est considerandum, nomen hoc *determinatio* interdum pro actione sumi, interdum pro passione, seu actu, vel qualitate, aut quacumque forma, vel quasi forma, determinante formaliter ipsam voluntatem. Cum enim dicitur Deus determinare se, determinatio illa in voluntate divina manere, eamque determinatam formaliter determinare intelligitur; unde et per modum actionis, et per modum passionis concipi et significari potest, quamvis in re nec vera actio nec vera passio sit, sed ipsummet velle substantiale Dei, ut sub tali ratione rationis existere concipitur. Cum vero dicitur Deus determinare voluntatem hominis, jam ibi intelligitur vera actio realis Dei circa voluntatem humanam, quæ proinde per modum transeuntis significatur, sive sit vere ac formaliter transiens, sive virtute et eminenter. Cum vero voluntas hominis dicitur determinare se, ibi et actio realis et immanens significatur, et illi passio realis respondet, quia voluntas creata, active et passive indifferens, non nisi per actionem realem potest se determinare, cui passionem realem respondere necesse est. Utraque vero illa voce determinationis significatur, quia non est aliud nomen simplex quo distinctius significantur, sicut illuminatio et calefactio de actione et passione dicuntur. Imo, licet determinatio passiva, in fieri considerata, sit proprie passio, tamen ut facta in potentia, est actus ipse in ea factus, qui quatenus illam formaliter ducit ad tale objectum, dicitur illam formaliter et passive determinare.

Ex quo etiam oritur æquivocatio, quam distinguere necesse est in illa determinatione, qua aliquid determinari seu esse determinatum denominatur; interdum enim dicit tantum denominationem extrinsecam qualis redundat ab actu immanente in objectum ejus; aliquando vero dicit formalem et intrinsecam denominationem, qualis redundat in passum ex reali actione causæ efficientis. Priori modo, cum Deus dicitur ex æternitate se determinasse ad volendam salutem talium hominum, dicitur illam salutem prædeterminasse, et salus ipsa passive denominatur prædeterminata a Deo, nimirum denominatione extrinseca; nam denominatio æterna ex æternitate resultans in creaturam non potest esse nisi extrinseca, sicut esse prædestinatam,

præfinitam. Ratio vero a priori est, quia hæc denominatio solum est ab actu immanente circa objectum suum. Posteriori autem modo denominabitur nostra voluntas determinata a Deo, si Deus illi imprimat aliquod intrinsecum quo determinetur, vel si voluntas creata determinat se, denominatur determinata, non objective tantum, sed etiam effective et subjective; atque adeo per intrinsecam denominationem. Et ad hunc modum denominatur natura determinata ad unum, quia recipit a Deo inclinationem internam sic definitam ad unum. Lege D. Thomam, quæst. de Potentia, art. 7, ad 13.

In præsentibus ergo controversia non est quæstio de determinatione voluntatis divinæ, quatenus est formalis determinatio ipsius Dei, denominatque voluntatem ejus suo modo formaliter et intrinsece determinatam, ad hoc vel illud objectum creatum. Nam in hoc sensu jam supponimus dari in Deo decreta libera æterna, et per illa determinari voluntatem Dei circa objectum creatum, sicque dari in Deo ab æternitate determinationem effectuum futurorum, etiam liberorum et per voluntatem humanam libere efficiendorum, quidquid illud sit quod talis determinatio addit vel ponit in Deo ultra actum illius necessarium, quod ad præsentem controversiam nihil refert. Igitur in præsentibus tractamus de determinatione voluntatis create, quæ ipsam intrinsece formaliterque determinat. Cumque omnes conveniamus dari hanc determinationem in voluntate hominis quoties ipsa humano modo vult seu consentit, controversia est a quo et quomodo fiat talis determinatio in voluntate creata, quoties velle incipit seu consentit, præsertim in actibus gratiæ, et supernaturalibus.

Unde pro certo supponimus in omni sententia non esse quæstionem de denominatione extrinseca, qua liber actus voluntatis humanæ potest ab æterno denominari determinatus per decretum liberum voluntatis Dei, quod est determinatio voluntatis Dei pura, immanens in ipsa. Sic enim constat in nostra et aliorum sententia, actus humanos et liberos dici posse ab æterno prædeterminatos, sicut sunt prædefiniti vel prædestinati. Est ergo controversia de denominatione intrinseca, qua voluntas hominis denominatur in tempore determinata ad unumquemque actum suum humanum in particulari. Cumque apud omnes constet determinationem passivam esse intrinsece et inhærenter in

ipsa voluntate creata, controversia est de determinatione activa, an sit a solo Deo, vel simul sit et essentialiter pendeat a voluntate creata, prout liberum arbitrium est, etiam in determinatione ad opera gratiæ, etiamsi libertas ipsa innata sit ipsi voluntati. Nam Patres Dominicani affirmant hanc determinationem fieri in nobis libere cooperantibus, sed præveniente et cooperante solo Deo. Nos autem contendimus illam determinationem debere esse liberam, et ideo non fieri in nobis sine nobis libere cooperantibus; et in hoc sensu, negamus dari prædeterminationem physicam.

Uterius vero ad majorem claritatem, necesse est advertere determinationem voluntatis humanæ duplicem cogitari posse, scilicet in actu primo et in actu secundo. Nam talis voluntas priusquam actu velit, est indeterminata ad actum secundum, quia non positive vult, nec positive non vult, et ad utrumque est indifferens. Et quia non solum ad recipiendum sed etiam ad agendum indifferens est, nam hoc est ad libertatem necessarium, ideo ex se indeterminata est etiam in actu primo, quatenus positus omnibus prærequisitis ad agendum, potens est ad eliciendum velle vel nolle, consensum vel dissensum, vel ad exercendum aut non exercendum suum actum. Juxta hanc ergo duplicem indifferenciam, duplex determinatio illi opposita potest in voluntate intelligi. Unam vocamus in actu secundo, quam habet voluntas, quando actu consentit vel dissentit; ideo enim dicitur in actu secundo illam habere, actus enim secundus voluntatis est velle vel nolle; unde de hac determinatione, certum (ut existimo) est apud omnes non fieri in nostra voluntate sine ipsa libere cooperante, quia neque actus secundus voluntatis esse potest sine libertate, neque actualis libertas exercetur a voluntate, nisi in ipsius actu secundo.

Quapropter determinatio hæc in actu secundo nihil aliud esse potest, nisi actualis effectio consensus voluntatis, quam a voluntate esse necesse est, præparata tamen et adjuncta a gratia, quando determinatio est ad supernaturalem actum; et in his, ut dixi, quantum opinor, non est dissensio, sed tota difficultas est de determinatione in actu primo. Nam Dominicani Patres docent necessarium esse, prius natura quam voluntas se determinet in actu secundo, determinandam esse ab aliquo in actu primo per aliquid illi impressum, et illud (quidquid sit) vocant determinationem.

Unde consequenter aiunt, illam determinationem non fieri a voluntate, quia voluntas immediate non facit nisi suum actum secundum. Concludunt ergo fieri a solo Deo per gratiam vel motionem efficacem. Patres autem Jesuitæ putant hoc genus determinationis in actu primo esse contrarium libertati, et ideo aiunt voluntatem in via nunquam determinari in actu primo, sed actum secundum liberum voluntatis semper prodire a voluntate indeterminata; et ubi voluntas determinatur in actu primo, ut in patria ad amorem, ibi actum non esse liberum, sed necessarium; imo etiam aiunt, posita determinatione in actu primo, tolli determinationem in actu secundo. Nam licet causa determinata in actu primo vere efficiat actum secundum, jam vero ille actus secundus non potest habere rationem determinationis, quia non aufert indifferenciam, sed exercet (ut sic dicam) potentiam jam determinatam; ut sol, dum illuminat, efficit quidem illuminationem ut actum secundum seu ultimum suum, non tamen se determinat, sed, cum sit determinatus, necessario prodit in talem actum. Idem est de igne dum calefacit, idemque est de voluntate amante Deum in patria; non enim se determinat ad amandum, sed jam determinata ab infinita Dei bonitate clare visa, et intrinseca propensione charitatis, exercet illum; ut ergo locum habeat propria determinatio in actu secundo, ita ut voluntas determinet se, necessarium putamus non determinari ab alio in actu primo.

Ex quibus præterea intelligitur quid indicetur per illam particulam *præ*, cum hæc motio non solum determinatio, sed etiam prædeterminatio appelletur. Tractando enim (ut diximus) de intrinseca determinatione voluntatis inhærente illi, significat illa præpositio determinationem illam prius saltem natura fieri in voluntate a Deo, quam ipsa voluntas incipiat operari vel efficere aliquid. Additurque, ut per illam particulam intelligatur hanc esse determinationem in actu primo, et non formaliter in actu secundo. Nam sicut actus primus antecedit actum secundum, saltem naturæ ordine, et ideo dici potest præire ante illum, ita prædeterminatio hæc antecedit (juxta illam sententiam) actum secundum voluntatis, ideoque illam prædeterminare dicitur.

Uterius intelligitur ex dictis quantum differat inter prædeterminationem divinæ voluntatis, et prædeterminationem voluntatis

humanæ, de qua est controversia. Nam prior est (nostro concipiendi et loquendi modo) immanens in voluntate Dei, et formaliter efficiens illam; posterior, si est, inest in voluntate hominis, et, respectu Dei, est quasi actio vel effectus transiens; respectu autem voluntatis humanæ est intime inhærens illi, manens in illa, et formaliter efficiens illam. Item illa prior est determinatio in actu secundo ipsius voluntatis Dei, et causa efficiens extrinseca respectu voluntatis humanæ; hæc vero determinatio, quam Deus solus dicitur facere in voluntate hominis, est determinatio in actu primo ejusdem humanæ voluntatis. Unde particula *præ*, ut dicitur de prædeterminatione ipsiusmet voluntatis Dei, non dicit antecessionem actus primi ad secundum, sicut de hominis prædeterminatione diximus; quia in voluntate Dei determinatio solum est in actu secundo, ut per se constat. Dicit ergo vel antecessionem æternitatis ad tempus, sic enim certe omnia quæ in tempore fiunt, sive libere, sive necessario fiant, sunt aliquo modo prædeterminata vel præordinata in voluntate Dei; vel dicit antecessionem rationis decreti voluntatis Dei ad præscientiam futurorum. Nam licet non omnia, quæ per causas secundas et liberas fiunt in tempore, sint hoc modo prædeterminata in æternitate, multa certe, non tamen omnia, ut de peccatis saltem et de actibus malis certum esse debet.

Tandem ex omnibus dictis satis clare constat quantum distet inter prædeterminationem physicam, quæ materia est præsentis controversiæ, ac prædestinationem divinam, et quomodo per solam æquivocationem verborum eludatur quæstio, quando prædeterminatio, de qua nunc tractamus, idem cum prædestinatione esse dicitur. Nam prædeterminatio est æterna, et nullo modo temporalis: prædeterminatio autem physica, de qua tractamus, est temporalis, et nullo modo æterna. Quæ doctrina ex alia nascitur, quod prædeterminatio dicitur actum immanentem Dei; prædeterminatio autem humanæ voluntatis est actio vel effectus transiens respectu divinæ voluntatis, manetque in humana voluntate. Hinc etiam de prædestinatione dicunt Theologi, nihil ponere in prædestinato, sed extrinsece denominare illum prædestinatum, præordinatum, præelectum. At prædeterminatio nostra ponit aliquid in voluntate humana, eamque intrinsece denominat prædeterminatam ad talem actum. Tandem ita hæc duo inter se differunt, ut prædeterminatio sit ra-

dix et causa efficiens prædeterminationis voluntatis humanæ; hæc vero sit effectus illius.

Quocirca satis extra rem est ea quæ Patres dicunt de prædestinatione, ad prædeterminationem transeuntem applicare (ita enim brevitate causa illam appellabimus), quia a diversis (ut dicunt) non fit illatio. Ostendimus autem illa duo esse diversa; non ergo necesse est ut quod de una dicitur, de alia dictum credatur. Potest quidem interdum ab uno ad aliud distinctum argumentum fieri, tanquam a causa ad effectum, vel ab effectu ad causam, et hoc videndum erit, an unum ex altero colligatur. Quod vero dicimus, est, falsum esse dicere, quidquid de prædestinatione dicitur, de prædeterminatione transeunte dici, aut, eo ipso quod prædeterminatio ponitur, prædeterminationem transeuntem poni, tanquam sint idem; in hoc enim sensu habet verum illud axioma, quod *a diversis non fit illatio*.

Nec refert quod sæpe Patres nomine prædeterminationis utantur, cum de prædestinatione loquuntur, quia tunc non sumitur prædeterminatio pro transeunte, sed pro immanente in Deo, id est non pro determinatione formali humanæ voluntatis, sed pro decreto voluntatis Dei, quod est illius formalis determinatio. Quocirca ita se videntur habere prædestinationis et prædeterminationis nomina, sicut se habent prædeterminatio et gratia apud Augustinum. Est enim (inquit ille) prædeterminatio gratiæ præparatio; gratia vero ipsa donatio, et ita distinguuntur tanquam temporale et æternum, ut causa et effectus, ut quidquid immanens in Deo, et transiens a Deo. Quamvis autem hoc verum sit considerando has voces ut ibi usurpatas ab Augustino, nihilominus, latius sumendo nomen gratiæ, solet interdum ipsamet prædeterminatio gratia appellari, ex D. Thoma 1. 2, quæst. 110, art. 1, et tertia parte, quæst. 2, artic. 10, quia omne supernaturale beneficium gratiæ quædam est, licet e contrario nomen prædestinationis nunquam usurpetur ad significandam temporalem gratiam in homine inhærentem. Qui autem ob illam variam significationem gratiæ applicaret omnia quæ dicuntur de prædestinatione, ad gratiam inhærentem, vel e converso, inepte argumentaretur, ut per se constat. Ita ergo vox prædeterminationis, ad diversas voluntates relata, divinam et humanam, diversa significat, quæ varietas non habet locum in verbo prædestinandi; nam voluntas humana non dicitur prædestinare se,

sicut dicitur determinare se; et quamvis passive possit denominari prædestinata et prædeterminata, longe tamen diverso modo; nam prædestinata dicitur per denominationem extrinsecam, prædeterminata vero (ut nunc agimus) dicitur per intrinsecam denominationem. Quod si verbum prædestinandi accipiatur ut synonymum verbi prædestinandi, sic etiam denominat extrinsece humanam voluntatem, ut satis declaratum est.

Est etiam optimum exemplum verbi præparandi, quod æquivocum est, et præparationem æternam ac temporalem significat; et priori modo formaliter nihil ponit intrinsecum in voluntate hominis, posteriori autem modo ponit in ea formaliter aliquid intrinsecum etiam inhærens ipsi. Quod optime declaravit D. Thomas vocando præparationem æternam activam, temporalem autem passivam; quæ varietas significationis non habet locum in verbo prædestinandi, quia non est in usu, neque est ad hoc impositum. Ideoque, licet interdum prædestinatio vocetur præparatio, non inde licet applicare, ad præparationem passivam, et internam voluntati humanæ, ea quæ dicuntur de prædestinatione, vel præparatione quæ cum illa coincidit. Denique si alicubi apud Græcos Patres in eorum latina versione interpretes posuerunt verbum prædestinandi, semper (ut opinor) inveniretur respondere in Græcis verbum *Proorizo*, quod internum propositum et decretum Dei æternum significare solet; et ideo interdum verti solet per verbum prædestinandi, interdum per æquivalentia, ut est verbum præfinitioni, præstituendi, vel præconstituendi, ut est apud Theodoretum, in id ad Ephes. 1: *Elegit nos in ipso*. Verbum autem prædestinandi, si inveniat, sumitur pro interna determinatione voluntatis Dei, non pro determinatione voluntatis humanæ illi intrinseca, et Deo extrinseca. Unde Dionysius, cap. 5 de Divin. nomin., cum dixisset in Deo esse rationes prædeterminativas, addidit esse effectivas; per eas enim Deus omnia produxit; non ergo loquitur de prædeterminatione intrinseca voluntati humanæ, sed Deo, in quo sunt rationes rerum. Apud Patres vero Latinos, extra Scholasticos, vix credo intervenire illud verbum prædestinandi se, vel aliquid aliud applicatum ad decretum æternum; si autem inveniat, parum ad præsentem causam refert, ut declaratum est.

Hæc quidem videbantur sufficere de illa voce *prædeterminatio*. Ut autem alteram dictio-

nem illi additam, scilicet, *physica*, declaremus, aliam æquivocationem in eadem voce auferre necesse est. Variis enim modis potest aliqua voluntas dici determinata ad aliquid agendum. Primo, quia propositum habet agendi illud, quod tamen mutari potest; unde ipsummet propositum vocatur ibi determinatio. Talis vero determinatio est formaliter in actu secundo libero, et ideo libera est; tamen respectu effectus faciendi ex vi illius propositi, infert quamdam necessitatem; tamen quia illa determinatio talis est ut auferri possit ab eadem voluntate, ideo non infert necessitatem absolutam, sed ex suppositione dependente ab ipsa voluntate humana; in Deo autem addit necessitatem immutabilitatis. Alio modo dicitur voluntas determinata in actu primo, quia est valde propensa in alterutram partem, quamvis simpliciter possit illam inclinationem non sequi. Atque hoc modo quidquid multum inclinat voluntatem, dici potest determinatio ejus. Sic habitus charitatis determinatio quædam voluntatis est, quatenus determinate illam inclinat ad unum objectum et actum; sic iudicium intellectus dicitur determinare voluntatem, quia, quantum est in se, voluntatem ad unum movet et inclinat, licet voluntas possit ei non consentire; sic persuasio etiam humana et consilium acriter datum dicitur determinare voluntatem ejus cui datur, etiamsi semper sit in ejus potestate non sequi tale consilium. Hoc ergo modo nulla est controversia quin præveniens gratia, quam Deus in nobis sine nobis operatur, determinet hominis voluntatem, id est, moveat, inclinet, et quantum est de se determinet ad id ad quod vocat. Verum tamen non est hæc determinatio de qua tractamus, quia hoc habet etiam gratia sufficiens, licet non sit efficax; unde non est determinatio simpliciter, sed cum addito, *quantum est de se*. Alio denique modo dicitur voluntas determinata in actu primo, quia ita est affecta per aliquam motionem vel impressionem, ut, illa semel posita, non sit in potestate voluntatis vel auferre illam, vel non operari cum illa. Quomodo voluntas videntis Deum, prius natura quam prorumpat in actum dilectionis Dei, eo ipso quod est affecta charitatis habitu, et habet præsens tale objectum per visionem claram, est determinata ad eliciendum amorem perfectum talis objecti, et est hæc determinatio simpliciter.

Ad explicandum ergo de quali prædeterminatione in præsentem sermo sit, additur par-